



**Erasmi a Chokier Tractatus absolutissimus de  
iurisdictione ordinarii in exemptos, deque illorum  
exemptione ab ordinaria iurisdictione**

Mvltis Pontificvm Decretis, Et SS. Congregationis ... Cardinalium  
Declarationibus illustratus ; omnibus in iudicio Civili & foro Ecclesiastico  
versantibus perquam utilis ac necessarius ; in duos tomos ab ipso Auctore  
distinctus

**Chokier, Érasme de**

**Coloniae Agrippinae, 1684**

49. Concesso privilegio ne quis ab Ordinario excommunicari possit, an  
saltem coram eodem conveniri seu puniri possit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61886](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61886)

## Q U Æ S T I O X L I X .

Concesso privilegio ne Exempti ab ordinario excommunicari possint, an saltem coram eodem conveniri seu puniri possint?

## S Y M M A R I U M .

1. Conveniri poterunt coram ordinario.  
 2. Secus si simpliciter Exemptio concessa sit.  
 3. Quid si excommunicans ignoret Exemptionem?  
 4. Privilegiati ne excommunicentur, tenentur excommunicatos devitare.

**1** Questionem hanc movet *Abbas cap. cum capella n. 6. de privileg.* Siquidem nemo dubitaverit, quin Papa privilegium alicui concedere possit ne excommunicetur ab ordinario, *extravag. frequent. in fin. de iudic. 70. Ferant. de privilegiis Francia privileg. 6.* Nihilominus tamen ejusmodi privilegio concesso, coram ordinario & conveniri & ab eodem puniri poterit. *Cavalcan. decis. 31. n. 18. par. 1.* quippe quod unius exclusio sit alterius inclusio. *arg. nonne de presump. ca. qualis dist. 25.* maxime in hac Exemptionum materia, quæ semper intelligenda est ad litteram, prout verba sonant, ex quo præjudicent juri ordinariorum, quod est favorabile, ut supra abun de probatum est, *lib. 1. cap. 4. qua de re etiam infra li. 4. qu. 13.* quod ipsum inferius discutietur *lib. 4. qu. 14. n. 8.*

**2** Secus autem, si quis simpliciter à jurisdictione ordinarii eximatur; tum enim à solo Papa excommunicari poterit, nec subsistet excommunicatio cujusquam alterius, seu Episcopus illam tulerit, seu legatus. *cap. cum ad quorundam & ibi glos. verb. non tenere de excess. Pralat. Gregor. Sayrus in Theol. Moral. li. 1. c. 6. n. 36. & c. 8. n. 7.*

**3** Quod procedit, etiam si excommunicans ignoret exemptionem, licet contrarium in hoc articulo senserit *Richard. 4. dist. 18. art. 5. q. 5.* Privilegium enim statim vires assumit atque concessum est, quamvis exemptus, aut qui censuram fert in cuius præjudicium id concessum est, ignoret. *Innoc. 4. in ca. 1. §. nec obviare de concess. præbend. in 6.* Ignorantia enim Prælati non obest, quo minus privilegium robur & effectum fortiatur. *arg. e. cum dilectus de rel. domib.* prout nec illius scientia requiritur, ut illud concedatur, quo de re propria quaestione breviter tractavimus *li. 2. q. 15.*

**4** Postremo, illud hic addendum est, quod ejusmodi privilegiati ne excommunicari possint, nihilominus tenentur denuntiatos excommunicatos devitare. *Sayrus d. par. 1. lib. 2. cap. 11. nu. 33. per c. nulli, ubi DD. de sent. excom. ca. cum & plantare §. excommunicantes ubi Abb. num. 1. de privileg. Covarr. cap. alma mater. par. 1. nu. 2. de sent. excom. v. supra quaest. 45. numer. 39.*

Et 520

Q. A.